IN OBITUM
JUVENIS PRÆSTANTISSIMI & DOCTISSIMI
THORLEVI GISLAVII,
Qvi cùm Oxoniæ Anglorum Literis operam daret, præmatura morte raptus est,
EPICEDIUM.

Imprimatur,
C. BARTHOLIN.

per
JOHANNEM WIDALINUM.

QVeis ego te verbis generi mors invida nostro
Incusem, putri vacuas dum secula penso;
Et te seu lacrymis adeant, indocta moveri
Sive minis, duras, fulvo neq; flecteris auro.
Desipio prudens si te messoris avari
Consimilem dicam, maturam & mensibus æqvis
Ille secat messem, teneris necq; invidet annum,
Qvas melior mundo sangvis manet, & calor astri
Provocat in cælum, ac pubentibus abstinet herbis
Præscius autumni. Tu non discrimine facto
Optima prima rapis, validum juxta atq; senectâ
Indecorem. Ceu cùm sylvis immissa furit vis
Vulcani, volat illa jugis horrentibus austro
Percita, sylvarumq; ætatem persurit omnem.
Haud aliter fati Dominæ, furiæq; rogales,
Involvunt tenebris homines, juvenemqve, senemqve,
Sorte pari. Qvos non inter postrema suorum
Materies luctus primis GISLAVIUS annis
THORLEVUS dedit ossa neci; date Lilia busto,
Ardentemq; rosam & florem redolentis amomi.
O! Decus, ô nostrum, si fata inimica rupisses,
Te dissertantem causas, Te jura loqventem
Civica, laudaret populus, plausuq; faveret.
Talis eras magno virtutum incensus amore,
Et qvam te talem primis spondebat in annis
Ignea vis, animoq; ruens heroicus ardor.
Talem te his oculis vidi coramq; tuitus
Egregium forma juvenem & florentibus annis
In gracili tacitus venerabar corpore ditis
Ingenii vires, te qvando Cærula puppis
Abstulit; & patria longùm cariturus abibas.
O crudele malum! non te maris incola Cimber,
Non Gallus, neq; Belga ferox, aut Frisia tellus
Attinuit, duxitq; sui Germania gustu.
Sola Caledoniis tibi mors injecit in oris
Fatalem furibunda manum, qvid Te? inclyte, qvid Te
Illa Caledonias tenuit mora nexa per urbes?
Scilicet ut gemitus & desideria longa
Obreperent nobis & non reparabile damnum.
Anne fatis doliturus erat Pater optimus, atq;
Magna soror, si te tantùm pallescere coram
Spectassent, vocesq; pias ac verba bibissent
Ultima, miscentes Lacrymas, si corpus amici
Exanimum patrio licuisset condere busto?
Ni dolor externis etiam ferretur ab oris,
Nobiliusq; tua vastum foret Albion urna?
Hinc dolor & luctus. Sed qvid, præposterus, olim
Sopitum refrico vulnus, lacrymasq; refundo
In patrios vultus, aut te sine more fatigo
Musa tener? Vos ô victricia corda dolorum,
Ne lacrymis turpate genas, nihil invidus olli
Omnipotens rector superum, sed lege vetusta,
Qvem dedit eripuit, nec enim eripuisse dolendum est,
Cui sortem vitæ parilem, & communia fata,
Principibus dedit esse viris, vitæq; sepulcrum,
Stat memor extremo, nec defuit Anglus honori.
Sic Tydeus, sic Æacides, sic fervida bello
Dextera Marcellus, nec non Telamonius Ajax
His pulcrum fuit in medio, cum stamina cursu
Deficerent, longè à patria Læthalibus umbris
Obrui, & ignotis imponere nomina terris.
Ac licet indignum tamen indignatus habenas
Ferre, licet Romam rigidis horrendus Eois
Fulmineum qvondam qva sæpè rotaverat ensem
Pompejus Pharia jacet intumulatus arena.
Cernite fata ducum, pulcrum est obiisse peregrè,
Fortibus in cælo patria est, Deus optimus illis
Qvi foris & procul à charis solvuntur amicis.
Est locus omniferæ supra telluris honores
Viventum fæcunda domus, qva cælite dextrâ
Assidet antiqvum, Phæbo formosior agnus,
Ipse Deus, juxta Deus est, Deus emicat ore
Sole caret pro sole Deus, nullæq; tenebris
Perpetuo cum sole vices, ubi mille Cherubim
Ter geminum sanctus reboant, augustaq; pubes
Abramidum cæleste tonat, stola circuit omnes
Candentis byssi, dextram regit Elea palma.
Hic vester pulcra populi dominantis in urbe
Filius & frater (svadet Deus incola mentis)
Exultat juvenum medius, miratur ovantem
Turba virum, plausuq; levi laqvearia complent.
Et qvod nunc tacita reqviescit molliter urnâ,
Immemor errorum pelagi Thetiosq; marinæ
Surget humo corpus, reduciq; implebitur aurâ,
Horrifer ut lacerum lituo qvatit angelus orbem.

HAFNIÆ, Imprimebat JOHANNES JACOBUS BORNHEINRICH.

